

† R. P. Alfridus Debast (1877-1953)

(Prov. Belg.)



« Noster pater (ita scribit Alfridi frater superstes Victor) natus erat extra veram Ecclesiam in secta, quae Stévenistae audit; verum amor sincerus veritatis et gratia divina ad catholicam religionem eum adduxit, licet durorum sacrificiorum pretio, quae Deus remunerari voluisse videtur eo, quod ex eius septem filiis quattuor ad statum sacerdotalem simulque religiosum vocavit, tres in nostra Congregatione et unum in Instituto Sacrorum Cordium, vulgo *Picpus*. Horum quattor signifer erat Alfridus. Mater erat matrona simplex et modesta, mulier vere sancta, cuius vita, multifariam probata, filii forte erat incitamentum ad virtutem.

« Alfridus inde ab initio studiorum discipulorum erat primus. Ad vocationem suam cognoscendam fecit novendiale. Sentiebat quidem aliquam inclinationem ad Societatem Iesu, at noster P. J. De Meester, sacrum secessum tradens in urbe natali Alfridi Hal seu Halle, in instituto Dominae Nostrae, positis aliquot quaestionibus, clare ei dixit: « Tu Redemptorianis sodalibus te associare debes ». Sciens autem, de quali puero ageretur (Alfridus vix habebat 15 annos), acceleravit eius ingressum (I.X.1892). Is igitur primum Trudonopoli absolvit sua humanitatis studia; vota nuncupavit 6 Oct. 1895 et sacerdos Pulchriugi ordinatus est 5 Oct. 1902 ».

Ulteriora officia Alfridi usque ad a. 1948 ultimus Catalogus p. 195 sic breviter et simul accurate complectitur: « Lect. stud. 2 a., lect. iuv. 5 a., cons. 4 a., adm. 2 a., cons. prov. 2 a., rect. 11 a., cappellanus Belgarum in Anglia (1914-18), prof. relig. in *Lycée Français* Londini, proc. prov. 3 a. ».

P. A. Debast docuit theologiam dogmaticam per biennium in studentatu canadiensi Marianopoli, rhetoricam vero Trudonopoli et in Essen. Propter sua de suis popularibus in Anglia degentibus merita decoratus est titulo « *Officier de la Couronne* ».

Exeunte a. 1927 nominatus Procurator Provinciae, singulari studio se dedit reordinando eiusdem aerario, adeo ut Rector Maior eum moneret de curanda magis propria valetudine. Exeunte a. 1935 ultra mensem in domo generalitia fuit, comes Exc.mi Episcopi nostri Ioannis Cuvelier, item civis Hallensis. Anno

insequenti nominatus Rector Rollariensis, sequentibus sex annis suis subditis apprime se carum reddidit. Verum spinae tribulationum non defuere. Cum P. Alfridus quondam, occupationis hostilis tempore, in sacro tribunali cuidam puellae id dixisset, quod dici oportebat, pluries a « Gestapo » severè examinatus est, et hucusque vix explicari potest, quomodo deportationem effugerit. Inde ex fine Februarii 1946 recepit suam ultimam in terris stationem, Jette prope Bruxellas.

P. Alfridus erat concionator quaesitus tum in terra flandrica tum in wallonica, utpote callens perfecte utramque linguam. Inde evenit ut saepe, etiam in aetate proiecta et iam debilitatus suo morbo (arteriosclerosi), partes in se susciperet confratrum iuniorum, non valentium vel non volentium concionari gallice; ipse quippe semper erat paratus ad omne opus bonum.

Versus Pascha anni 1948 feminae S. Familiae loci Helmet, quibus iam bis exercitia spiritualia praedicarat, tertium ei supplicavere, ut sibi perfectionis viam demonstraret. Eis morem gessit, sed in primo sermone, vel uno e primis, morbus, quo iamdi laborabat, effecit ut a loquendo desistere cogeretur. Aliquid simile ergo ei accidit, quod fratri iuniori Leopoldo (nat. 28.XII.1881) evenerat anno praecedenti. Is enim suscepérat moderandam missionem loci Kieldrecht propterea quod alius confrater eo ire renuerat, at tribus horis post missionis finem, 11.II. 1947, angina pectoris eum subito e vivis sustulit.

Ultima sacramenta P. Alfridus prima vice (7.II.1949) recepit e manibus fratris Victoris. Qui cum sequenti d. 21 Augusti in Beauraing commoraretur, fratrem graviter aegrotantem commendavit precibus « Videntium ». Revera hi eodem die inter h. 18,45 et 19 loco apparitionum BMV pro P. Alfrido preces fuderunt. Mirum! Eodem tempore aegrotus in Jette magnam in melius mutationem experitur. Postridie Missam litat ut iuvenis, et tribus hebdomadis exactis medicus iudicium suum profert verbis: « *C'est une vraie résurrection!* ».

Haec melioratio, quae prodigiosa esse videtur, duravit usque ad d. 5 Apr. 1951, quo iterum sacramenta ultima recepit. Sed cito etiam haec crisis transiit, ad quem effectum certe etiam festivus Alfridi animus conferebat, dicere solitus omni medicina plus valere mane primo surgere et semper laetitiam in corde servare.

Potuit sic (cum brevi anticipatione) 21 Sept. 1952 aureum sacerdotii iubilaeum, magna confratrum corona circumdatus, celebrare (1). Attamen Dominus iam stabat ante portas. Ultimum Sacrum litavit P. Alfridus d. 12 Octobris, et ultimo eiusdem mensis die translatus est in nosocomium. Ibi non defatigabatur pie contemplari duas imagines ante eius oculos positas, quae Passionis Domini initium (Gethsemani) et finem (Golgotha) reprecentabant, et ibi Dominica 18 Ian. 1953 in osculo Crucifixi, adstantibus sibi duobus fratribus presbyteris, placide exspiravit.

(1) Cf. RIS, p. 180.

In imaguncula memoriali defuncti confratris haec notatio morum legitur:

Doué d'un heureux caractère toujours calme et d'humeur enjouée, il faisait le charme de la société et comptait parmi les meilleurs des confrères.

Religieux fidèle à la S.te Règle, vrai fils de Saint Alphonse, très attaché à la doctrine et aux méthodes de son Fondateur, il était d'une piété sérieuse, profonde, aucunement ostentatoire, ne renonçant à célébrer la Sainte Messe que vaincu par l'implacable maladie; quelques semaines avant sa mort.

Enfant de N.-D. de Hal, il eut, sa vie durant, envers sa Mère du Ciel une filiale dévotion, héritée de sa sainte mère de la terre. Le chapelet était une de ses prières favorites.

Sa longue et pénible maladie, supportée avec une entière soumission à la volonté de Dieu, sans plainte aucune, purifia de plus en plus sa grande âme.

C. H.